



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.282/a




Early European Books. Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.282/a



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.282/a



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.282/a



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze.
CFMAGL. 1.6.282/a



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di
Firenze
CPMAGL. 1.6.282/a

1 . 6 . 282

113

XI

CLAV.

639

243.

2. R

COMPENDIVM
BREVISSIMVM
D E S C R I B E N D O R V M 1
6
Horologiorum Horizontalium ac
Declinantium.

Auctor E
CHRISTOPHORO CLAVIO
Bambergensi Societatis
IESV.



ROMÆ, Apud Aloysium Zannettum. MDCIII.
SUPERIORVM PERMISSV.

639

COMPENDIUM

BREVISSIMUM

DESCRIBENDORVM

Holographia Holographia ac

Degressuum

ANASTO

CHRISTOPHORO CLAVIO

Bononiensi Societatis

1624.



ROMAE Ab Iohannem Zutthagium MDCCII

SERIOKUM PERMANENS.



PRAEFATIO.



NE annos aliquot tradidi auditoribus meis horologiorum descriptionem Geometricam, & quidem breuissimam. Hanc vt in lucem ederem, flagitarunt à me non pauci, quos inter non eximum modo studium, sed etiam munificentia extitit magnifici Isidori Ruberti. Horum vietus precibus eam nunc, paulo tam locupletiorem, imprimendam curau. Quamuis enim anno 1599. nouam horologiorum descriptionem per lineas tangentes, eāq. accuratissimā diuulgauerim, ea tamen vsum habere non potest, nisi tabulæ quædam adhibeantur: ita vt sine illis nullum horologium memoriter cōstrui possit. Quare compendium hoc non ingrātum studiosis futurum confido, cum eo semel rectè intellecto, ubiuis locorum horologia memoriter possint describi. Non tamen omnino tangentes negligam, vt, quando libuerit, eas adhibere quiuis possit ad horologiorum constructionem, cum per eas longè accuratius horæ describantur cum arcubus etiam signorum, quam per solam viam geometricam, propter innumerabiles quasi obliquas sectiones, quæ in ea occurrere solent. Pleniorē autem descriptionem per lineas tangentes ex prædicta noua horologiorum descriptione lectori studio petere licet.

A 2 HO-

HORAE ASTRONOMICAE
HOC EST A MERIDIE
AC MEDIA NOCTE
IN PLANO HORIZONTALI.

CAPVT I.



VCTIS duabus rectis AB, CD, se se ad angulos rectos secantibus in E. & in CD, sumpta magnitudine styli E C; describatur ex C, ad quoduis interuallum arcus circuli FG, secans CD, in D; atque ex D, sursum numeretur complementum altitudinis Poli usq; ad F; & deorsum ipsamet altitudini Poli usque ad G. Ductis enim rectis CF, CG, secantibus rectam AB, in A, H; erit A, centrum horologij, in quo omnes lineaæ horatiæ conuenient. Per H, autem ducta recta ad AB, perpendicularis, erit linea æquinoctialis, ipsa vero AB, meridiana linea erit, & AC, Axis

Mundi.


I AM rectæ HC, æqualis sumatur HB, (sive hoc sursum, sive deorsum fiat, nihil refert) Deinde ex B, circulus describatur cuiuscumque magnitudinis IKLM, in quo ducta per B, diametro KM, ad AL, perpendiculari; secetur totus circulus in 24. horas æquales. Hoc autem facile fiet, si ad interuallum semidiametri LB, ex quatuor punctis I, K, L, M, bini arcus ex utraq; parte abscindantur. Ita enim totus circulus eadem circini apertura distributus erit in 12. partes æquales. Singulis deinde partibus sectis bifariam, diuisus erit totus circulus in 24 horas.

P OST hæc applicata regula ad binâ punctâ per diametrum opposita, secetur linea æquinoctialis in punctis, per quæ ex centro Horologij A, rectæ lineaæ in utramque partem eiusq; dabunt horas à meridiæ, & media nocte. Solâ linea horæ sexæ ducenda est per centrum horologij A, ad meridianam lineam perpendicularis. Ordo horarum hic est. Horæ pomeridianæ, vt 1. 2. 3. &c. sunt ad sinistram hincæ meridiæ: antemeridianæ vero, vt 11. 10. 9. &c. ad dextram.

Q VONI AM autem aliqua diametri circuli IKLM, valde oblique æquinoctiale lineam intersecant, ac proinde non facile per eas puncâ in æquinoctiali linea sine errore inueniri possunt, per quæ ex centro horologij A, horæ ducendæ sunt, ducemus accuratius illas horas hoc artificio.

E X quolibet punto N, horæ 3. vel 9. ducatur ad horam 6. perpendicularis NO, (In figura sumptum est punctum N, in hora 3.) & ipsi NO, recta æqualis accipiatur OP, & ex P, circulus describatur ad quodcumque interuallum, ex quo a punto Q,


ad.



ad interuallum huius semi diametri QP, duo arcus absindantur QR, QS; quorum vterque quatuor horas complectitur. Diuiso ergo utroque in quatuor partes æquales; si per eas ex centro P, rectæ occultæ emittantur, secabitur recta NO, in punctis, per quæ ex A, centro horologij, horæ ducendæ sunt, etiamsi earum puncta in linea æquinoctiali non haberentur. Exemplum habes in 2. 3. 4. 5. 7. & 8. horis pomeridianis. In figura punctum R, notari non potuit, ob penuriam loci. Punctum quoque in æquinoctiali linea, per quod hora 3. vel 9. ducenda est, habebimus; si rectam HB, vel HC, transferamus ex H, in lineam æquinoctialem, sinistrorsum quidem pro hora 3. dextrorsum vero pro hora 9. Si ad dextram duxeris aliam lineam meridianæ parallelam, quæ tanto interuallo a meridiana remoueatur, quanto parallela NO, ab eadem abest; & in hanc parallelam transluleris puncta parallelae NO, habebis pro singulis horis terrena puncta, &c. Quod si horaria spatia in circulis IKLM, RQS, bifariam secentur, vel in quatuor partes æquales, describentur eodem modo semisiles & quadrantes horaruni.

PORRO puncta horarum in linea æquinoctiali, & in parallela NO, exquisitissime beneficio linearum tangentium inueniemus, immo totum horologium construemus, hoc pacto. Pareatur instrumentum huiusmodi. In plano aliquo sive æneo, sive ligneo, sive in charta crassiore, fiat angulus rectus BAC; (posset etiam fieri obtusus vel acutus) sumptisque duabus rectis æqualibus AB, AC, secetur utraq. in 100. particulas æquales, & per singulas singuli arcus describantur ex centro A. In figura diuisa est utraque linea AB, AC, in decem partes, quartu singulæ subdividæ rursus erunt in denas particulas. Hoc instrumento accipientur nullo negotio tangentes quorumlibet arcuum, posito sinu toto 100. quod in re praesenti satis est sita. Ut ex tangentibus, quarum sinus totus est 1000000. auferendas sint quinque figuræ ad dextram: tres vero quando sinus totus est 100000. unica tandem, quando sinus totus ponitur 1000. ut in tabula nouæ descriptionis horologiorum; ita tamen ut unitas adjiciatur ad Tangentem reliquam, quando in hac tabula figura abiecta, vel in alijs tabulis prima figura abiecta ad sinistram fuerit maior quam 5. vel semissis unitatis, quando illa figura fuerit 5. vel non multo maior. Hac autem ratione, Tangentes accipientur. Sinu toti proposito sumatur interuallum æquale BD, lineaque occulta ducatur AD. Si igitur Tangens maior non fuerit quam 100. post abiectionem figuratum dictarum, dabit interuallum a numero Tangentis in linea AB, usque ad lineam AD, Tangentem quæsitam. Ut si Tangens est 40. erit interuallum EF, Tangens 40. partium, si sinus totus interualli BD, cogitetur esse diuisus in 100. partes. Si vero Tangens maior fuerit quam 100. accipiens erit sinus totus BD, in aliqua recta toties, quot centenæ sunt in Tangente proposita, & adiencia reliqua Tangens. Ut si Tangens data est 140. sumendum est sinus totus BD, in linea GH, semel à G, usque ad H, eique adjicienda Tangens HI, ipsi EF, 40. partium æqualis. Ita enim recta GI, erit Tangens partium 140. si sinus totus continet partes 100. Et si Tangens data esset 540. accipiens foret sinus totus in recta GH, quinque, eique addenda Tangens 40. partium, &c.

IDEM hoc instrumentum commodius forrasis ita conseruetur. Fiant ex orichalco duæ regulæ æquales AB, AC, coniunctæ in centro A, ut circa illud uniformiter moueri possint, ita ut instrumento clauso, rectæ AD, AE, unam rectam constituant. Si namque in hisce regulis ex centro A, educantur duæ rectæ AF, AG, æquales, secundumque ambæ in 100. particulas æquales, constructum erit instrumentum eundem usum habens cum priore, si interuallum inter partes 100. & 100. æquale sumatur proposito sinu toti. Sed quoniam per exiguae Tangentes in hoc instrumento sumi nequeunt prope centrum, quod immobile permanet, accipiemus duas Tangentes



gentes maiores, quarum differentia æqualis sit Tangenti propositæ. His enim in linea quilibet rectam translatis, dabit earum differentia Tangentem quæsitam. Ut si capienda sit tangens 4. particularum, sumemus differentiam inter duas Tangentes 20. & 24. vel 60. & 64. &c. Quando etiam sinus totus tam exiguus est, ut eū inter 100. & 100. statuere non possumus, accipiatur eius decuplum inter 100. & 100. deinde omnium Tangentium accipiantur partes decimæ, quod fit per abiectionem vnius figuræ, vt si Tangens est 95. respondens grad. 43. min. 31. accipienda erit Tangens $9\frac{1}{2}$, respectu sinus totius decuplati. Vberius autem ac fusiis vtriusq. instrumenti usum exponemus in secunda editione nouæ horologiorum descriptio-
nis, quam propediem Deo volente multis rebus, ac tabulis auctam in lucem
emitteremus.


SED iam ad descriptionem horologij per tangentes veniamus, quam quidem in exemplo per posterius instrumentum absoluemus. In prima ergo figura, ductis duabus rectis AB, CD, ad rectos angulos se secantibus in E, sumptaque magnitudine stylis EC, capiemus ipsi EC, tamquam sinus toti æquale interuallum inter 100. & 100. Deinde tangentem complementi altitudinis poli, (sumimus in hoc compendio altitudinem poli Romæ grad. 42.) nimurum 111. transferemus ex E, sursum usque ad A, in linea meridiana, eritque A, centrum horologij, & perpendicularis OP, hora 6. Item tangentem altitudinis poli videlicet 90. transferemus ex E, deorsum usque ad H, eritq. perpendicularis per H, ducta linea æquinoctialis: in qua puncta horaria ita comprehendemus. Quoniam vna hora tam ante mer. quam post, complebitur grad. 15. duæ vero horæ grad. 30. & tres, grad. 45. & quatuor grad. 60. & quinque grad. 75. si horum graduum Tangentes, (sumpto prius interuallo inter 100. & 100. æquali interuallo HC, tāquā sinus toti) transferamus ex H, in æquinoctiale lineam ex utraque parte, inuenta erunt puncta, per quæ ex A, ducendæ sunt hora-
riæ lineæ.

QVOD si sinus totus statuatur OP, cui æquale sumatur interuallum inter 100. & 100. dabunt eorundem graduum tangentes ex O, translatæ puncta horaria in parallela NO, &c. Ut tangens 173. quæ horæ 4. & 8. hoc est, gradibus 60. respondet respectu sinus totius HC, dabit in æquinoctiali linea puncta hor. 4. & 8. In parallela vero NO, eadem Tangens dabit puncta hor. 2. & 10. respectu sinus totius OP, cum hæ horæ distent etiam grad. 60. id est, horis 4. à sextæ horæ linea. Non aliter puncta semissum, ac quadratum horarum reperiemus, si hæ fragmenta horarum ad gradus reduxerimus, coruunque Tangentes transtulerimus ex H, & O, &c.

ARCUS SIGNORVM.

Cap. II.

DVta recta AB, quæ axem Mundi referat, erigatur in A, perpendicularis AC, pro radio Æquatoris. Descripto deinde ex A, arcu quoque FE G, absindantur à punto E, duo arcus, EF, EG, maximæ declinationi æquales, hoc est, graduū $23\frac{1}{2}$. Dant enim rectæ AF, AG, referent radios 69. & 60. Ut autem radj. aliorum signorum ducantur, jungatur recta FG, secans radium Æquatoris in D, punto; è quo ad interuallum DF, vel DG, circulus describatur FHGL, quo diviso in 12. partes æquales, iungantur lineis occul-
tie



Boris

ris bina puncta æqualiter ab F, vel G, distantia; notenturque harum intersectiones cum arcu FE G. Per has enim enim ex A, radij signorum educendi sunt. Quod si radij desiderentur semissum signorum, vel etiam quadrantum, diuidendæ erunt duodecim partes circuli prædicti in duas, vel quatuor partes, &c. Qui autem radij ad signa borealia spectent; & qui ad Australia, mox patefaciemus.

POST hæc in Axe AB, sumpta recta AB, æquali Axi AC, in horologio primæ figuræ ducatur ex B, ad A B, perpendicularis BK, (sive autem AB, ad sinistrâ sumatur, sive ad dextram ipsius A, nihil refert) Deinde descripto ex B, arcu quocunq; LNP, numeretur ab N, utrinque complementum altitudinis poli usque ad M, & O, iunganturque rectæ BM, BO; quarum illa lineam horæ 12. meridianæ, hæc verò lineam horæ 12. mediæ noctis repræsentat. Ita autem aliarum horarum lineas ducemus. Iuncta recta OM, secante rectam BK, in Q, descriptoque ex Q, per M, & O, circulo MO S, eoque in 24. partes diuiso, iungantur bina puncta, quævis à puncto M, vel O, æqualiter distantia, rectis lineis rectam MO, secantibus in punctis, per quæ ex B, emissæ dabunt lineas horarum aliarum; quarum ordo à linea 12. horæ meridiei BM, progreditur versus O, & hinc iterum regreditur usque ad M.

POSSVMVS quoq; has lineas horarias hoc modo ducere. In horologio sumatur in prima figura omnia interualla inter B, & puncta horarum in linea æquinoctiali, initio facta à linea 12. horæ; eaque ordine in tertia figura transferantur ex A, in radij Äquatoris AH, puncta in eo imprimendo. Per hæc enim lineæ horariæ ex B, educendæ sunt; quarum supra lineam horæ 12 dabit, sequens horas 1. & 11. alia deinde 2. & 10. &c. Recta autem BK, horam 6. exhibebit. Quod si interualla in arcu MNO, inter N, & lineas horarias transferantur in eundem arcum versus O, habebimus puncta, per quæ lineæ horarum ultra horam 6. educendæ etiam sunt.


HIS peractis, hac ratione arcus signorum describemus. Interualla horariorum linearum, in tertia figura ex B, egredientium inter B, & radium cuiuscunque signi (spectant autem radij versus B, ad signa Borealia in horizontali horologio, reliqui verò ad Australia) transferantur ordine in 4. figura ex centro horologij A, in lineas respondentes: sive, quod idem est, interualla linearum horariorum inter æquinoctiale radium, & radium cuiusvis signi, transferantur in lineas horarias respondentes, à linea æquinoctiali, versus quidem centrum horologij, si radius propositus ad Borealia signa spectet, in contrariam vero patrem, si ad Australia. Per hæc enim puncta linea inflexa aptè descripta, ita vt non faciat angulos, dabit illud signum, cuius radij puncta translata fuerunt, in quam videlicet lineam inflexam extremitas umbræ stylis projectetur, Sole in principio illius signi existente.

CÆTERVM signa Australia eadē opera describemus, qua Borealia opposita, hoc artificio. Inuentis duobus punctis duorum signorum oppositorum in linea meridianâ, (quæ quidem exhibebunt nobis in tertia figura duo interualla lineæ 12. horæ BM, inter B, & radios duorum signorum oppositorum, in lineam meridianam, horologij ex A, centro horologij translata, vel certe duo interualla lineæ horæ 12. BM, inter radius Äquatoris, & eosdem radios signorum oppositorum translata in lineam meridianam horologij ab Äquinoctiali linea initio facta) transferatur portio lineæ meridianæ inter punctum signi borealis, & centrum horologij in partem inferiorem lineæ meridianæ, ex puncto signi Australis oppositi, ver gr. portio meridianæ lineæ in 4. figura inter a, punctum 69. & A, centrum horologij, transferatur ex b. puncto b, usque ad d.

DEINDE ex A, & d, describantur duo circuli æquales, cuiuslibet magnitudinis, & inter-

II

4^a. fig.



B 2 interval-

interualla circuli ex A, descripti inter lineam meridianam, & lineas horarias ex A, egressientes, transferantur in circulum ex d, descriptum ab eadem linea meridiana, & per puncta ex centro d, lineæ occultæ emittantur. Si namque interualla horaria inter B, & radium signi Borealis, transferantur in lineas horarias respondentes ex A, centro horologij, & in lineas respondentes ex centro d, habebimus puncta duorum signorum oppositorum. Quin etiam descripto quovis signo Boreali, describemus etius oppositum signum hoc modo. Divisa portione meridianæ lineæ inter duo puncta signorum oppositorum bifariam. V.g., portione inter a, punctum 69. & b, punctum 30. bifariam secta in Q, per punctum diuisionis parallella ducatur lineæ æquinoctiali. Si enim charta, in qua horologium descriptum est, complicetur circa hanc lineam, & acu pertenui perforentur puncta signi Borealis, apparebunt ex altera parte puncta signi Australis oppositi.

QV I A verò propter obliquas sectiones, quas in tertia figura horariæ lineæ ex B, prodeuntes cum radijs signorum, præfertim Australi, faciunt, facile error committi potest, reperiemus in horis puncta arcuum signorum per Tangentes multò accuratius, hac ratione. Sit v. g. inquirendum punctum 30. in hora 2. à meridie in 4. figura. Diuiso segmento AE, inter centrum ac stylum bifariam in F, describatur ex F, per A, & E, circulus AgE: Ita enim rectæ ex E, ad intersectiones huius circuli cum horarijs ductæ, per pendiculares erunt ad ipsas horarias. Deinde à puncto g, intersectionis dicti circuli cum hora 2. sumatur recta g h, stylo æqualis. Interuallum enim E h, erit sinus totus, per quem in hora 2. puncta omnium signorum reperiuntur hac ratione. In tabula ad finem huius compendij posita, sumatur è regione altitudinis poli graduum 42. sub hora 2. & 10. arcus graduum 43. min. 53. qui ex complemento declinationis 30. hoc est, ex grad. 66. min. 30. detrahebatur grad. 22. min. 37. quorum Tangens $41\frac{1}{2}$. ex g, & altera intersectione circuli AgE, cum hora 10. translata in horas 2. & 10. dabit puncta tropici 30. Item si complementum eiusdem arcus grad. 43. min. 53. (hoc est, grad. 46. min. 7.) adjiciatur ad declinationem 30. graduum 23. min. 30. conficietur arcus grad. 69. min. 37. cuius Tangens 269. ex eisdem punctis hora 2. & 10. translata offeret puncta tropici 30. in hor. 2. & 10. Eademque ratio est de alijs. Itaq; pro signis borealibus detrahendum est arcus tabulæ prædictæ ex complemento declinationis: nisi quando arcus ille maior est complemento declinationis, tunc enim complementum ex illo arcu tollendum, & reliqui arcus tangens transferenda versus centrum. Pro signis autem Australibus prædicti arcus complemento adjicienda semper est declinatio. Sic etiam pro hora supra horam 6. arcus nominatus complemento declinationis addendum est. Ut pro hora 7. à mer. adjiciendum est arcus respondens rectæ A k, complemento declinationis 30. Pro hora denique 6. transferenda est Tangens complementi declinationis borealis ex centro A, utrinque in horam 6..

HOROLOGIVM ITALICVM, ET Babylonicum, hoc est, horas ab occasu, & ortu monstrans. Cap. III.



Ommodissimè horas ab occasu & Ortu describemus beneficio arcuum diurnorum, qui compleuantur horas numero pares: qui quidem non aliter describentur, quam arcus signorum descripti sunt; si loco radio-

rum

rum signorum ex A, pucto emittantur radij arcum diurnorum; quos radios nobis exhibent linea horariæ in 3, figura ex B, emissæ. Nam recta BM, est radius arcus diurni horarum 0. sequens linea horarum 2. insequens horarum 4. & sic deinceps progrediendo per horas pares, ita ut recta BO, sit radius arcus diurni horarum 24. Arcus verò circuli MNO, inter N, & dictos radios complectantur declinationes arcum diurnorum.

IGITVR si portiones rectæ MO, inter Q, & radios horarum 14. & 10. hoc est, portiones QT, QV, transferantur in eadem lineam MO, à radio Aequatoris in vtramque partem usque ad X, Y, habebimus radios AX, AY, horarum 14. & 10. & sic de cæteris. ita ut si rectam QO, transferamus ex radio Aequatoris usque ad Z, recta ducta AZ, det nobis radius arcus diurni horarum 24. Iam inueniemus puncta cuiusvis arcus diurni in lineis horarijs horologij, non secus, atque puncta arcum signorum inuenimus: si nimur portiones linearum horariarum ex B, prodeuntum inter B, & radius arcus diurni cuiuscunq; transferantur in lineas horarias respondentes horologij ex A, centro horologij, &c.

INVENTIS punctis arcum diurnorū in horarijs lineis, nullo negocio horas ab occasu & Ortu delineabimus. Nam si puncta arcus diurni horarum 14. inuenta sint, transibit hora 23. ab occasu per punctum eius arcus in hora 6. astronomica à meridie, propterea quod hora 24. per punctum eiusdem arcus diurni in hora 7. à meridie transiret, quippe cum 7. hora Sol occidat. Eadem ratione hora 22. transibit per punctum eiusdem arcus in hora 5. à meridie, & sic de reliquis. Rursus in arcu diurno horarum 12. quem linea æquinoctialis nobis refert, hora 23. transibit per horam 5. à meridie, cum 6. hora Sol occidat, & hora 22. per 4. &c. Item in arcu diurno horarum 10. incedet hora 23. per horam 4. à meridie, & hora 22. per 3. à meridie, &c. Denique in arcu horarum 24. hora 23. ducenda erit per 11. horam à meridie, & 22. per 10. à meridie, & sic de reliquis, ita ut hora 23. in quovis arcu diurno ducenda sit per horam, quæ occasum Solis antecedit per horam 22. per horam quæ duabus horis antecedit occasum; & sic deinceps. Vbi notatu dignum est, horas Italicas tangere arcum diurnum horarum 24. in illis punctis, per quæ eas ducendas esse diximus.

LINEA horæ 12. ab occasu, ducenda est parallela æquinoctiali linea per punctum medium portionis meridianæ lineæ inter A, centrum horologij, & H, punctum æquinoctialis lineæ, tangereque debet arcum diurnum horarum 24. in linea meridiana.

LINEA autem horæ 11. ducenda est per horam 6. à media nocte in arcu diurno horarum 14. & per horam 5. à meridie in æquinoctiali linea, quæ quidem tanget arcum diurnum horarum 24. in hora 11. à media nocte.

LINEA verò horæ 10. ab occasu ducenda est per horam 5. in arcu diurno horarum 24. & per horam 4. à meridie in æquinoctiali linea, quæ quidem tanget arcum diurnum horarum 24. in hora 10. à media nocte, &c.

QUEMADMODVM autem beneficio arcum diurnorū horarum 10. 12. 14. & 24. horas italicas descripimus, ita easdem describere licebit per alios arcus diurnos. Nam si v. g. puncta habeamus arcus diurni horarum 16. ducenda erit hora 23. per horam 7. à meridie in eo arcu, & 22. per 6. &c.

NON aliter horas ab ortu describemus beneficio arcum diurnorum, si diligenter aduertamus, qua hora à media nocte Sol oriatur. V. g. in arcu diurno 14. horarum Sol oritur 5. hora à media nocte. Igitur hora 1. ab ortu per horam 6. à media nocte in eodem arcu transibit, eademque ratio de cæteris habeatur.

E A D E M. horæ ab occ. & or. æquidistant in horologio horizontali horis à meridie.

meridie, & media nocte, quarum numeri illarum semisses sunt. Ut hora 23. æquidistant horæ 11 $\frac{1}{2}$. & horæ 14. æquidistant horæ 7. &c. Itaque si per punctum æquinoctiali linea, per quod hora ab occ. vel or. ducenda est, agatur linea parallela illi horæ astronomicæ, quæ illius semissis est, descripta erit hora proposita. Ut quia hora 23. transit per horam 5. astronomicam in æquinoctiali linea, si per horam 5. in æquinoctiali ducatur parallela horæ 11 $\frac{1}{2}$. nimirum semissi horæ 23. descripta erit hora 23. Duceatur autem parallela, si interuallum in linea æquinoctiali inter horam astronomicam, cui parallela ducenda est, & horam astronomicam, per quam ducenda est parallela, transferatur in horam 6. ex centro A. Ut si interuallum KL. inter horam 11. & horam 4. transferatur ex A, usque ad M, erit ducta M L, parallela hora 11. horamque 22. indicabit. Sic etiam si interuallum NO, inter horam 10 $\frac{1}{2}$. & horam 3. transferatur ex A, ad P, erit ducta PO, parallela horæ 10 $\frac{1}{2}$ horamque 21. ostendet. Horæ autem quæ parum ante horam 12. ab or. vel occ. distant, quoniam nimis procul æquinoctiale secant, ducentur commodè per puncta, quibus horæ astronomicæ horam 12. ab or. vel occ. intersectant. Ut hora 12 $\frac{1}{2}$ ducenda est parallela horæ 6 $\frac{1}{4}$. astronomicæ per hor. 12 $\frac{1}{4}$. in linea horæ 12. ab or. vel occ. Hora autem 13. per horam 12 $\frac{1}{2}$. parallela horæ 6 $\frac{1}{2}$. Sic hora 11. ducenda est parallela horæ 5 $\frac{1}{2}$. per horam 11 $\frac{1}{2}$ & hora 11 $\frac{1}{2}$. parallela horæ 5 $\frac{3}{4}$. per horam 11 $\frac{3}{4}$. &c. De horis post 13. & ante 11. nulla est difficultas, cum earum puncta in æquinoctiali linea commodissime haberi possint.

A R C V S quoque diurnos per tangentes non aliter describemus, quam arcus signorum descripsimus; si pro declinationibus signorum declinationes diurnorum arcuum assumamus, quæ declinationes per unam solam multiplicationem reperiuntur per problema 11. ad finem nouæ descriptionis horologiorum, hac ratione. Posito sinu toto 100000. multiplicata sinu differentiæ inter arcum semidiurnum datum, & arcum semidiurnum Aequatoris, qui 6. horas complectitur, (reducta ea differentia ad gradus) per tangentem complementi altitudinis poli. Si namque ultimas 5. figuræ ex producتو abieceris, reliqua fiet tangens declinationis quæstæ. Ut si desideretur declinatio arcus diurni horarum 14. vel 10. in Horizonte Romano, supra quem eleuatur polus grad. 42. quoniam arcus semidiurnus horarum 7. vel 5. differt à 6. horis hora 1. hoc est, grad. 15. si multiplices sinum, 25882. huius differentiæ, nimirum horæ 1. sine graduum 15. per Tangentem 11106'. complementi altitudinis poli, & ex producتو 2874480802 abijcas postremas 5. figuræ, remanebit tangens 28745. cui respondent in tabula Tangentiū grad. 16. min. 2. pro declinatione arcus diurni hor. 14. vel 10.


HOROLOGIVM DECLINANS Astronomicum. Cap. IIII.



V C T I S duabus rectis AB, GH, se se ad angulos rectos secantibus in I, quarum GH, lineam Horizontalem nobis representat, sumatur in AB, recta IA, stylo futuri horologij æqualis 5. & ex A, centro arcus circuli describatur CD, cuiusque magnitudinis, secans AB, in B, atque ex B, ad partem de xtram numeratur declinatio muri, si à meridie in ortum declinet; ad finitram vero, si à meridie in occasum: in contrariam autem partem

tem

Figura



tem complementum eiusdem declinationis supputetur. In exemplo nostro ponimus meridum declinare à meridie in occasum grad. 30. idcirco grad. 30. declinationis supputati sunt à B, ad sinistram usque ad C; ad dextram vero complementum declinationis, nimirum grad. 60. usque ad D. Deinde ex A, ad C, & D. ducantur rectæ secantes Horizontalem lineam GH, in E, & F. Per E, quidem ducenda erit linea meridiana E L, parallela ipsi AB, vel perpendicularis ad horizontalem lineam. Per F, autem ducenda erit & linea horæ 6. Astronomicæ, & linea æquinoctialis.

D E I N D E rectæ AE, in horizontali linea æqualis accipiatur E G, & ex G, descripto arcu circuli HK, numeretur altitudo poli in data regione usque ad K. Ducta enim recta GK, secabit lineam meridianam in L, centro horologij, ex quo per I, ducenda erit recta LM, quæ linea erit stylus.

Q V O N I A M vero propter propinquitatem punctorum L, I, facile aberrare possumus in ducenda hac linea, reperiens 3. punctum, per quod ducenda erit, hoc modo. Sumpta recta LP, supra L, æquali ipsi LE, ducatur ex P, linea parallela ipsi Horizontali linea, in qua sumppta recta PQ, æquali ipsi EI, habebimus 3. punctum Q, quæsumus.

P O S T hæc erigatur ex I, perpendicularis IO, ad lineam stylis LM, stylo IA, æqualis; iungaturque recta LO, axem Mundi representans, ita ut angulus OLI, altitudinem Poli supra planum declinans propositum metiat: ducta vero recta OM, ad Axem perpendiculari, secante lineam stylis in M, ducenda erit ex F, per M, linea æquinoctialis, quæ si erratum non fuerit, perpendicularis necessario erit ad lineam stylis.

H O C peracto, rectæ MO, sumatur in linea stylis æqualis MN, & ex N, circulus describatur cuiuscunque magnitudinis, qui secetur in 24. partes æquales, initio facto à diametro, quæ per intersectionem linea meridianæ cum æquinoctiali linea ducitur, qualis in nostro exemplo est diameter RS; sive à diametro, quæ per N, & F, ducitur, quæ quidem, nisi erratum sit, priorem diametrum ad angulos rectos fecit necesse est. Ductis iam omnibus diametris huius circuli, secabitur linea æquinoctialis in punctis, per quæ lineaæ horariæ ex L, centro horologij educendæ sunt. Ordo horarum hic est. Horæ ad dexteram linea meridianæ, sunt post meridianæ, ad sinistram vero antemeridianæ.

V T autem horas, quæ vix, aut valde procul æquinoctiale linea secant, accuratis ducamus, utemur hoc artificio. Ex quolibet punto horæ 3. vel 9. nimirum ex f, ducatur linea perpendicularis ad horizontalem lineam, vel parallela linea meridianæ, secans horam 6. in T, punto, per quod parallela agatur horizontali linea, ex qua absindatur recta TV, ipsi Tf, æqualis. Descripto autem ex v, arcu circuli ad quocunque interuallum, absindantur ad interuallum semidiometri TV, duo æquales arcus xy, xz, iisque in 4. partes æquales secentur. Ductæ enim rectæ occultaæ ex v, per puncta diuisionum, secabunt rectam fT, in utramque partem infinitè protractam in punctis, per quæ horæ ex L, centro horologij educendæ sunt; quæ quidem magis exquisitè ducentur, si ex altera parte meridianæ lineæ parallelam duxerimus ab, tanto interuallo à meridianâ linea distante, quanto recta fT, ab eadem meridianâ abest. Si enim in hanc ab, interualla recta fT, transferamus, initio facto à punto b, horæ 6. ita tamen ut æqualia interualla sint alterna, habebimus pro singulis horis terrena puncta, quorum medium semper est L, centrum horologij, per quæ ducendæ sunt. V.g. si interuallo Td, infra T, æqualiter interuallum sumamus b e, supra b, ducenda erit hora 5. per tria puncta e L d. Sic etiam si interuallo Tf, supra T, sumamus æquale interuallum b g, infra b, ducenda erit.

da erit hora 8. per tria puncta gLf, &c. Per tangentes lineas in dictis duabus parallelis s^t T, a b, inueniemus exquisitissimè puncta horaria, hoc modo. In superiori instrumento figuræ 2. capiatur interuum inter 100. & 100. æquale rectæ T v, pro sinu toto. Nam si tangentes grad. 15. 30. 45. 60. 75. vt in horizontali horologio diximus, transferamus ex punctis T, b, in utrasque partes, obtinebimus puncta horaria quæsita, terrena videlicet, pro singulis horis. Ordo horarum difficultis non est. Nam recta bLt, dat horam 6. ex qua reliqua facile iudicabuntur, ut supra dictu est.

L I N E A M quoque horæ tertiae, vel nonæ inueniemus hoc pacto, etiamsi circulus ex N, descriptus non sit. Ex E, vbi meridiana horizontalis intersectat, ad rectam GL, excitetur perpendicularis E l. Item ad AB, ex eodem punto E, excita perpendiculari in utramque partem, sumantur in ea E m, E n, ipsi E l, æquales. Si namque ex A, per m, & n, rectæ occultæ ejciantur, secabitur horizontalis linea in punctis q, p, per quæ ex L, centro horologij hora nona, & tertia emittendæ sunt.

P E R easdem tangentes reperiemus quoque puncta horaria in linea æquinoctiali hac ratione. Ducta recta N R, per intersectionem lineæ cum æquinoctiali, describatur ex N, arcus circuli quiuis inter rectam NR, & lineam stylis NL. Ex gradibus enim huius arcus discemus, quales Tangentes assumere debeamus, respectu sinus totius MO. V. g. in nostro exemplo, quia dictus arcus complectitur semè grad. 40. min. 47. necesse est tangentem 86. nimis graduum 40. min. 47. posito sⁱnu toto MO, translatam ex M, punto, vbi lineam stylis æquinoctialis intersectat, in æquinoctiale lineam terminari in punto intersectionis meridianæ lineæ cum æquinoctiali. Quod si ad eosdem gradus adiiciamus grad. 15. quibus hora 11. à meridiana linea distat, efficiemus grad. 55. min. 47. atque huius arcus tangens 147. respectu eiusdem sinus totius MO, ex eodem punto M, in æquinoctiale translatæ dabit nobis punctum horæ 11. Et si alios 15. grad addamus, inueniemus eodem modo punctum horæ 10. & sic deinceps. Rursus si ex prædicto arcu grad. 40. min. 47. detrahamus grad. 15. quibus hora prima à meridiana distat, relinquetur grad. 25. min. 47. quorum tangens 48. ex punto M, translatæ dabit punctum horæ 1. Si vero detrahamus grad. 30. quibus hora 2. à meridiana abest, reliqui erunt grad. 10. m 47. quorum tangens 19. eadem ratione exhibebit punctum horæ 2. Quia vero hora 3. à meridie distat grad. 45. auferemus ex his prædictum arcum grad. 40. min. 47. vt reliqui fiant gradus 4. min. 13. quorum tangens 7 $\frac{1}{2}$. ferè translata ex M, offeret punctum horæ 3. Si vero ad hos grad. 4. min. 13. addamus grad. 15. inueniemus similiiter punctum horæ 4. & sic deinceps.

E X his elici potest hæc regula generalis in horologio declinante à meridie in ortum. Ad arcum inter R, & lineam stylis, qui in nostro exemplo, ut diximus, continet grad. 40. min. 47. adiiciendæ sunt distantiae horarum à meridie, quas à meridiana linea habent, à distantijs vero horarum à media nocte, quas à meridiana linea habent, quæ videlicet ad sinistram meridianæ lineæ positiæ sunt, si quidem maiores sunt prædicto arcu, auferendus erit arcus ille, si vero minores sint, ipsæ distantiae horarum à prædicto arcu demandandæ sunt. Ita enim semper habebimus arcus, quorum tangentes, posito sⁱnu toto MO, exhibebunt nobis puncta horaria in linea æquinoctiali. In horologio autem declinante à meridie in occasum, quale est nostrum propositum, ad arcum præfatum inter R, & lineam stylis, adiiciendæ sunt distantiae horarum ante meridiem, quas à meridiana linea habent, quales sunt horæ ad sinistram meridianæ lineæ descriptæ: à distantijs vero horarum pomeridianarum, si quidem maiores sunt illo arcu, auferendus erit arcus ille, si vero minores, ipsæ distantiae à prædicto arcu detrahendæ sunt.

G R A D V S vero in arcu inter R, & lineam stylis comprehensos per calculum,

C. f.

si libet, certius sic deprehendemus per unicam multiplicationem. Multiplica si-
num altitudinis Poli supra Horizontem, nimirum 66913. hic Romę, in tangentem
complementi declinationis muri, nimirum in 173205. in nostro exemplo, & ex-
productor 11589666165. abijce ultimas 5. figuram. Reliquus enim numerus 115897.
erit tangens complementi quæsiti arcus. Cum ergo huic tangentie respondeant in
tabula grad. 49. min. 12. paulo amplius, erit complementum huius arcus, grad. 40.
min. 47. paulo amplius. Ac tantus erit arcus quæsus metiens inclinationem Meri-
diani proprij plani declinantis ad Meridianum Horizontis.


ARCVS SIGNORVM IN HOROLOGIO declinante. Cap. V.



V C T A recta AB, vtcunque, excitetur ad eam perpendicu-
laris AC, pro radio Aequatoris; atque ex A, utrinque emit-
tantur radij signorum, arcuumque diurnorum, vt supra in-
horologio horizontali tradidimus. Deinde axi LO, equalis
sumatur AB, & ex B, parallela agatur BD, ipsi AC. Post
hæc recta NM, vel MO, ex 5. figura transferatur in radium
Aequatoris in 6. figura ex A, usque ad H, punctum, per quod
ex B, recta traiiciatur BH, respondens linea stylis, vel meri-
dianæ propriæ plani declinantis; quæ etiam duci poterit, si
angulo OLM, quem in horologio axis cum linea stylis in centro horologij efficit,
æqualem angulum constituamus ABH, sive, quod idem est, ex B, arcus describatur,
in quo utrinque absindantur duo arcus complementi altitudinis Poli supra pla-
num propositum, initio facto à recta BD; quam quidem altitudinem Poli exprimit
angulus OLM, reliquis vero ex recto complementum eiusdem altitudinis exhibet.
Rectæ enim ex B, per fines arcuum ductæ, exhibebunt dictam rectam BHG, & aliam
respondentem ex altera parte. Sumpcio iam quolibet puncto G, in recta BH, duca-
tur recta GD, ipsi AB, parallela, secans BD, in D, atque ex D, ad interuallum GD,
circulus describatur, qui in 24. horas secundus est hoc modo. Interuallum inter N,
& horam 12. in æquinoctiali linea figuræ 5. transferatur ex A, in radium Aequato-
ris figuræ 6. usque ad C, & per C, ex B, recta ducatur secans GD, in e. Perpen-
dicularis enim e f, ad GD, excitata, dabit punctum f, initium divisionis. Ordó hora-
rum colligendus est ex ordine, quem in horologio seruant. Ut quoniā in nostro
horologio hora 1. & 2. sequuntur meridianam lineam versus lineam stylis, idcirco
& in nostro circulo sequi debent hora 1. & 2. punctum f, versus punctum G, per
quod linea BG, lineam stylis referens ducitur.

I A M vero si ex singulis horis huius circuli ex D, descripti, perpendicularares
demittantur ad rectam GD, (quod quidem facile fieri, si singulis arcibus inter G,
& horas unius semicirculi æquales arcus sumantur inaltero semicirculo. Rectæ
